

D. M. S.

SIGISMVND O LIBERO BARONI IN  
HERBERSTAIN, NEIPERG ET GVESENHAG, VIR-  
TVTIS AC MERITORVM ERGO' IMMV-  
NITATE DONATO, P. P.



TAL A me primò tellus sub flore iuuentæ,  
Aurata patrie donatum torque remisit.  
Maximus Aen. s. ius Cæsar, uirtute, fideq;  
Forte mea adductus, Patrum me protinus Aula;  
Consilio adscripsit, requies hinc nulla laborum  
Facta mihi: magnis de rebus iussa peregi.  
Fœderibus iunxi reges, pacisq; tuendæ  
Accendi studio, latè quā Rhenus inundat;  
Danubiusq; patet, uagus Albis, & Istula, quaq;  
Dura Borysthenides colit impiger arua colonus,  
Et gelido manat Tanais de fonte niuosus,  
Rha leni placidas quaq; agmine lambit arenas,  
Nauigis penetrans lustraui cæca Rubonis,  
Crononisq; fluenta: & inhospita Tesqua peragrans;  
Legatus mandata tuli, Regumq; superbæ  
Accessi sedes: gemino subiecta Trioni  
Balheia transauifretæ, magni Regia nostræ  
Danorum domini lætata salutis honore.  
Quis gestis rebus, me Cymbrica Chersonesus  
Excipit, & patriæ reddit, charisq; propinquus.  
Post ubi mortalis defuncto munere uite,  
Carolus acer auro successerat, hunc quoq; dulcis  
Impulsus patrie precibus, de more salutans,  
Indomitòs adij populos & ditia regna  
Hesperia reducem dein Ferdinandus ab Aula  
Consilijs statuit: latè quo Regna tenente,  
Arctoos iterum reges, populosq; reuisi.  
Hinc mihi pro meritis, serisq; nepotibus auctum  
Libertate decus, quod nulla aboleuerit ætas.  
At postquam inuasit Solymanus mœnia Bude,  
Accensum furijs, uim perniciemq; minantem  
Pannoniae, Orator compressi, diraq; retro  
A nostris suasi iugulis auertere tela.  
His nunc defunctis curis, post fata quiete  
Sopitus placida, iusti dum buccina sonum  
Iudicis excusat, dormiscam Viue uiator;  
Exemplaq; meo patriæ seruire memen:o.

10. RO SINVS.

24 Nonno-



On moror hanc Christi repetenti reddere uitam.  
Et uixisse mihi satis, & uidisse superq[ue] est  
Tot maria & montes, tot flumina, totq[ue] paludes,  
Tot reges, dominosq[ue] orbis, tot regna, tot urbes.

Nam mare concendi, suprà, quodq[ue] alluit infrà  
Italiam, remis hinc præteruectus, & illinc.  
Baltheaq[ue] emensus freta, mox Balearicas soluens,  
Sardiniae ingredior, gelidiq[ue] Borysthenis oras,  
Rhaq[ue] cauas tacito stringentem flumine ripas.  
Traieci: Tanaisq[ue] supra caput osq[ue] niuosi,  
Nusquam Rhiphaeos didici consistere montes.  
Iamq[ue] Albim & Rhenum, fluuumq[ue] binominis Istri  
Nauigij superans, Legati munus obiui:  
Atq[ue] Sigismundum moderantem iure Polonus,  
Lituaniæq[ue] ducem, mos est quem dicere Magnum,  
Sæpe salutari uerbis & nomine regis  
Ferdandi: & toto diuisos orbe Mosynos  
Non semel atq[ue] iterum magnis de rebus adiui,  
Moscouiaq[ue] Ducem magnum sum affatus in urbe  
Uuasilium: hinc Danis, Noruegis, atq[ue] Suedis  
Imperitatem adij Christernum, non satis aequo  
Dissidio sancti turbantem fædera leæti,  
Liberius monui infami dessistere cæpto:  
Hec mandata ferens à Cesare Maximiliano,  
Ipsum etiam Hungarie regem, dominumq[ue] Bohæmis  
Eduicum accessi, Regno, & florentibus annis.  
Iam uero mulis locuples Hispania regnis  
Cognita, & Hispanis non cedens Belgica regnis,  
Carolo ubi Austriacam regionem, nomine Quinto,  
Ceu patris orbatam interitu commendo pupillam.  
Præterea Decimum Romana in sede Leonem  
Conspexi: Veneti dux Laure dane Senatus  
Cognite porrò mihi es, notiq[ue] fuere Dynastæ  
Imperi plures, quos hic numerare molestum est.  
Ecce autem Hungaricis ubi rursus imminet oris,  
Et nostros misera Solymanus clade peremit,  
Ne quicquam longa Budam obsidione prementes,  
Ipsiis horrifica subnixi sede tyranni,  
Altius eretæ fixi stans oscula dextræ,  
Quam prona in terra melior pars orbis adorat:  
Principis inde meignatam deduco Polonus  
Reginam in Regis thalamos: belliq[ue] togæq[ue]  
Expertus casus uarios hac inter, & olim

Militiae

Militiae emeritus ueterana stipendia, iuu*i*  
Consilio interea innocui compendia Fisci.  
Linguarumq*e* potens, in iura ac faedera fidum  
Præsto ministerium, studioq*e* senesco laborum;  
Publica priuatis præponens commoda lucris:  
Respondente tamen fidei sorte, atque fauore  
Austriadum regum, domui rem linquo, decusq*e*,  
Et prisci generis stemma haud inglorius orno.  
Vitæ igitur plenus, quam sum mihi conscius actam  
Gnauiter in uitæ officijs, sine labe, notaq*e*,  
E magno ueluti satur expletusq*e* theatro,  
Cedo lubens, & nostra do lampada gesta sequenti.

IOANNES EUDOVICVS

Brafsicanus.

NULLAM VIRTUS ALIAM MERCEDEM LABORVM  
periculorumq*e* desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem de-  
tracta, quid est, quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, tam breui, tantis  
nos in laboribus exerceamus? CICERO.

Tydidem socium coniungit Homerus Ulyxi:  
Nempe manum menti, nempe animum gladio.  
Aurea nobilitas nitidum tibi porrigit ensem,  
Doctrina at certam monstrat ubiq*u*iam.

IOANNES ALEXANDER

Brafsicanus.

Quos ady populos, quæ regna potentia uidi,  
Exposui lustranda oculis. Non iudicis equi  
Examen metuo, moueor nec bile maligni:  
Robore uera suo stant inconuulsa, uigentq*e*.  
IOANNES ROSINV.

Sigismundum uarias mundi rapuere per oras,  
Terra, rates, undæ, nix, traha, currus, equi.

GEORG. LOGVS.

Occasus, mediussq*e* dies, septentrio & ortus;  
Perlustrata fero, rate sunt, rhedaq*e*, rotaq*e*,  
Sigismunde tibi, Orator dum publica regum  
Magnorum exequoris totum mandata per orbem.  
IOAN. LVD. BRASSIE.

Sic uehor, ampla gerens regum mandata meorum,  
Ad Danos, Moscos, Pannonas, Hesperios.

GEORG. VERNERVS.

HE

EH NRICVS GLAREANVS P. L. ANNOTATIONI  
bus in Q. Curtium, ubi de duplice Scythia, Herodoto dicta,  
Ptolemæo vero Sarmatia, in hæc uerba  
differit.

*De quibus regionibus nostra ætate inclitus ille vir D. Sigismundus in Herberstein,  
Neiperg & Guottenhag Baro, inuictissimi Cæsaris Ferdinandi Consiliarius, fisci in Au-  
stria præfetus, duo iusta uolumina edidit, plena omnis eruditionis, dignissimum opus  
leætu, quod omnes qui Geographica amant, amplectantur, multum lucis accepturi, pluri-  
morum cum in Latinis, tum in Græcis authoribus locorum, antea à nemine rectè tradi-  
torum. Oculatus hic testis, non auritus tantum hæc scriptis prodidit, certa, non uana re-  
latione: quippe missus Legatus à duobus Imperatoribus, diuino Maximiliano, ac Carolo  
quinto, ipsoq; Cæsare Ferdinando, ad magnum illum ducem Moschouie. Hæc ego, optimæ  
lector, haud ullo zelo motus, quam ingeni ueritatis amore, de illo generoso viro scribo.  
neque enim eum unquam uidi: sed eius opera tanto ardore, tanta animi mei admiratio-  
ne legi, ut multis annis nil æquè lubenter. Et confiteor, me multum inde fructus hauiisse:  
quando ex ijsplane uideam, ueteres de his rebus ita cæcutisse, ut Cimme-  
rias tenebras nobis offudisse, merito uideri queant.*

Rußorum

*Russorum Rex & Dominus sum, iure paterni  
Sanguinis: imperij titulos à nemine, quauis  
Mercatus prece, uel precio: nec legibus ullis  
Subditus alterius, sed Christo credulus uni;  
Emendicatos alijs aspernor honores.*

